

Häffler

411

Q



A. III. 4







ΣΧΕΔΗ.

SEU.

DISSERTATIUNCULA.
PHILOLOGICO-HISTORICA.

DE

LINGVARUM. S.

ORTU. ET. CULTU.

QVA.

V I R O S.

OMNIUM. ORDINUM. AC. DI-
GNITATUM. SPECTABILES. LITERA-
RUM. PATRONOS. ET. FAUTORES. HONORABI-
LES. NEC. NON. HUMANIORUM. STUDIORUM. QVOS.
CONTINET. LEUCOPETRA. CULTORES. OMNEIS.
AMABILES.

HARTMAN. WILHELM. Müffler.
S.S. RECTOR.

UT.

CRASTINA. LUCE. DEO. DUCE. AD. HO-
RAM. PROMERIDIANAM. IX. NOSTRO. IN. AUDITO-
RIO. EJUSCEMODI. EXERCITIIS. ADHUC. DESTINATO. FA-
VENTES. FREQUENTES. COMPARERE. SUAQUE. SVAVISSIMA.
FAVORIS. AURA.

DUOS. ADOLESCENTES. COMMENDATIS-
SIMOS. SUBLEVARE. ET. EORUM.

ORATIUNCULAS. RARIORES.
PRONIS. AUSCULTARE. AURIBUS.
NE. DEDIGNENTUR.
EXOPTAT. ROGITAT. INVITAT.
DEMISSE. AMICE. OFFICIOSE.

WEISSENFELSÆ. LITERIS. BRÜHLIANIS.





A. Ω.

Romanicam simul & Græcanicam, imò omnem sanè linguam, sive sit ex Orientalibus una ad laudem Dei amplificandam, sive Occidentalibus, quas vocare amant, singularem quandam & præcipuam promereri laudem, nemo, fortassis nisi cui in pectore cor sit nullum, temere ibit inficias. Ecquis vero pernegabit, matrem Lingvarum ad unam omnium Ebræam, famosissimè sic dictam ceu primigeniam, reliquis de facili palmam præripere atque adorem? Hæc namque est illa, quam primus humani generis parens adhibuit Adam; unde Philologis audit Adamæa: hæc est, quam Noachus constantissimus Dei servus intra arcam exercuisse cum suis creditur: hæc denique est, quam Pœni seu Phœni, Samaritani calluisse benè legantur. Quid? cui & reliquis ferè omnibus Lingvis Orientalibus, à Salutis Fonte Christo, Prophetarum & Apostolorum cohorte usurpatis, magna inter se cognatio intercedit. Sed ut in *γλωττοφίλων* favorem, rem paucis ab ovo, quod dici consuevit, ordiar, extra omnem dubitationis aleam (α) est positum, benignissimum in cœlis Polarcham primo hominum, Adamo unà cum anima primitus linguam inspirasse (β) quam eandem deinceps

(α) *Et si Vitruvius & Diodorus Siculus contrarium scriptis in suis ogganniant frustra.* (β) *Vid. Gen. 2. 7.*



cipetempore ipsius posteritas successive servavit probè ;
 Sethus putà, Enofus, Kenan, Enochus, Methusala cœte-
 riqve parentes primi Ante-diluviani. An vero litteræ ipsa-
 rumqve notæ per certum siderum positum (uti gens He-
 braica fingit) à summo rerum Conditore sint Adamo præ-
 figuratæ in cœlo limpidissimo, nihil certi hâc de re, qvâ ex-
 tra Scripturæ S. pomœria est, dici potestur. Idem fermè
 judicium est de eo faciendum, qvòd (ut ἐν παρθῶ addam) de
 duabus Sethi columnis, qvibus inscripsisse Deus fertur Ma-
 thesin aliasqve arteis imbibendas, affert in medium Jose-
 phus (α) Nolo jam attacta illa *hominum imperitorum commenta*
 (ut magni illius Scaligeri verba faciam mea) qvæ de stylo
 Adamæo atqve Alphabeto finxêre audacter (β) dudum
 rejecta (γ) Sed extralitem existimo, qvòd lingua Adami-
 ca cum Nocha ejusdemqve familia parva, qvæ octo consti-
 tit animabus (Perofus autumat, *Tyteam* fuisse uxorem Noæ;
Pandoram, Noëlam & Noëglam maritas filiorum ejus) immi-
 nente jam diluvio universali migraverit in Arcam, qvæ
 postmodum fertur admota montibus Gordiæis, ita Stra-
 boni & Plinio dictis : S. codex טַרְרַא vocat eosdem, (δ)
 Tum in Armeniam ipsam contiguam appulsa, cujus men-
 tionem injecit Jerem. (ε) qvo in loco substitisse usqve ad
 γλωττοσύγχυσιν istam communem, qvâ de sanctissimus pari-
 ter ac antiquissimus Historicorum Moses (ζ) Qvæ autem
 litteræ Noacho fuerint, eæqve fictitiæ ab aliis attributæ, vi-
 deri potest laudatus Bangius (η) Qvoniã vero Armeniæ
 Phœnicia reperitur contermina, & huic Judæa seu Palæsti-

A 2

na,

(α) Antiquit. suar. l. 1. c. 3. (β) Angelus Roccha à Cammerino, Laurent.
 Schraderus in singul. tract. (γ) à Clar. Thom. Bangio in suo Cœl.
 Oriental. (δ) Gen. 8. 4. consulas Joseph. antiq. l. 1. c. 4. qvi ab Ar-
 menis ἀποβατήριον locum descensionis dici contendit. (ε) Cap.
 51. v. 27. (ζ) Gen. 11. (η) in Cœl. Oriental. p. 105.

na, credere fas est, similem quoque usurpasse linguam. Et si Lucani l. 3. par versuum videntur peculiarem literarum inventionem Phœnicibus partim attribuere:

*Phœnices primi, fama si creditur, ausi
Musarum rudibus vocem signare figuris :*

Attamen nihil est dubitandum, quin Phœnissi primigeniâ illâ, nempe Adamæâ, & Noëtica Lingva purâ, temporibus suis primis scil. ante universalem L. L. confusionem sint usi, cumque iis post-diluviani patres Noachus, Semus, Arphaxadus, Sela, Eberus & horum liberi. Ast vero temporibus Regu, Nachoris purum hoc idioma à vicinis & reliquis Noæ filiis Chamo, Nimrodo item Japeti filiis Nepotibusque mutatum perhibetur atque corruptum. Rudera ejusmodi jam depravatæ hoc est Punicæ lingvæ leporum ille pater atque facetiarum Plautus (α) habet: *Ythalonim vualonuth si corathisima comsyth*, quæ Thom. Reines. (β) reddit ita: *Obsecro Superos Superasque, quibus contigit locus iste. Nec minus Punica seu Ebræa censentur, quæ sequuntur (γ) Avo Donni*, hoc est, *salve Domine mi*, quod genus desumptum putatur ab יהוה vel יהוה vixit &, ארונ Dominus, quasi dicant: *vivas, sis saluus, Domine mi.* (δ) Eadem planè sit ratio Lingvæ & litterarum Cananæorum, qui eque dem à כנען Canaan filio Chami filii Noæ Gen. 10. 7. sic dicti sunt, contermini Phœnicibus partim, partim Ægyptiis. Hi sanè ante γλωτσοσύχυσιν sunt locuti ore puro, post eam vero impurò, non nihil tamen primigeniæ L. conformi. Videtis loc. Jes.

(α) In Pœn. Act. V. Sc. I. (β) Histor. Lingv. Pun. c. 12. adh. I. (γ) Act. V. sc. II. v. 34. seq. (δ) vid. hic Bernhard. Aldretum Antiq. Hispan. I, I, c. 2. Hug. Grot. de ver. Rel. Christ. p. 18, n. 5.

Jef. (a) Et horum Dialectum non Abrahamus solum; sed
 Isaacus, Jacobus, Josephus etiam eorumque posterii ex stem-
 mate Ebraeo perbene novisse leguntur (β) Ceu legitimi
 terrae felicissimae possessores. Quodsi vero ex rudioribus
 non nemo appellationis hujus ac identitatis Linguae Hebra-
 icæ cum Originaria desideret rationem, illam illum latere
 nolo, quandoquidem à quarto, vel juxta alios, quinto Pa-
 triarcharum post-diluvianorum np. EBERO (neutiquam
 vero ab עבר *transivit* scil. Abrahamus &c. est appellata pri-
 migenia. Quippe cum hujus in familia præsertim tem-
 pore confusionis Babylonicæ integra manserit atque pura
 (γ) Succedentibus deinde temporibus hæc Lingua Θεόπνευ-
 σθη *aliud sortita memoratur nomen. Quam tamen cum*
propullulantibus inde controversiis nostram non faciemus,
prostant de iis exquisitissima summorum Virorum monu-
menta. Multis multum probare censentur (1.) Sicli s. nu-
mismata antiqva & genuina plurima, nec non rudera Hie-
rosolymitana successivè effossa, de quibus consulendi Au-
tographi (δ) (2.) Exempla MSS. & impressa hoc idioma-
te maximè Pentateuchi (ε) (3.) Non pauci Veterum æque
ac recentiorum huic rei calculum addunt suum consentien-
do: (ζ) Cæterum ignota non est fama, Samaritanos solum Pen-
tateuchum recepisse, missis historicis libris & Propheti-
cis, quod hic ipse contineat fœdus inter Deum & populum

A 3

ejus

(a) cap. 19. v. 18. item ac Bibliandr. de ration. comm. omnium Lin-
 gvarum p. 20. (β) Gen. 11. 12. 13. seq. *quæquam* Ps. 83. v. 6. *loqua-*
tur de diversitate partiali, non a omnigena s. totali (γ) Gen. 10. v. 21.
 & 25. c. 11. 9. (δ) *Videl. Arias Montan. Waserus Waltonus, alii*
aliique (ε) *Evolv. Talmud. utrumque Babylon. Tract. Sanhedrin.*
sect. 2. Jerosolymit. tract. Megill. Sect. 1. (ζ) *Hieronimus, Theodoret.*
Jul. Scatiger, Füllerus, Capellus, Seldenus Grotius & Paraphrasta Vi-
nariens.


ejus descriptum; reliqui libri sint iis saltem explicationes illius. Neque dubium videtur, quin lingua Assyria ab Assur(a) & Chesed filio Nachoris (β) acceperit nomen. Est, inquit, notabilis Author (γ) hæc lingua quantum ad originem suam אשורית h. e. Assyria f. Assyriaca, eò quod est recta in suis litteris & exiit nobiscum ex Assyria. Vulgus non dubitat eam vocare Babyloniam, à Babylone civitate notissima & prima omnium post diluvium ad Euphratem ædificata (δ) Jam v. in gratiam πολυγλωττοφίλων alia notatu dignissima excerpta partim de Lingua Syriaca, aliàs Aramæa ab Aram filio Semi; item Antiochena, Comagena, Maronitica, dicta ab usu locali, de cujus L. dignitate ac utilitate ante annum pluribus in Program: quamque nonnulli ab Ebræo-Chaldæa L. Dialecto simul & literis differre volunt; partim de Arabica ערבית à solitudine, aliàs Sabæa à סבא filio Chus, item Hagarrena, cujus Character longius recedit à primigenia, interim tamen usitatissima in Oriente, veluti apud nos in Occidente Latina & Græca: partim de Persica, à Perseo Rege, quæ concordat Arabicæ ferè per omnia, hujus literæ numerantur XXVIII. sicuti Persicæ XXXII. (ε) partim denique de Æthiopica al. Abyssina, Indica, cujus Consonantes sunt num. XXVI. (vocales non habent) quas scribunt leguntque dextrorsum ut Europæi; sed Chineses perpendiculariter; de quibus, inquam, & similibus Armenia np. Ægyptiaca & Turcica adferri in medium plura possent, nisi chartæ album deesse nobis videretur. Quare citra plurium verborum ambages calamus se meus vertit ad PERORANTES, quorum prior est JOHANN. DAVID. Schieferdecker/ Weissenfels, Misnic! Adolescens tenellus ac bellus EPHORI nostri, qui pro-

(α) Gen. 10. 22. (β) Gen. 22. v. 22. (γ) Abrab. de de Balmis in peculio suo sub initium statim Edit Hanov 1594. (δ) Gen. 21. v. 2. (ε) Confer Nomen illud Venerand. Job. Olear. in Itinerar. Persic lib. 5. c. 24. p. 614.

proxam mentionem deprecatus refugit, Filius Directissimi.
 mus. (α) Hic præter Oratiunculas *Ebraeo-Syriacas*, annis superioribus omnium cum adplausu, è memoria dictas, & die quoque crastina (β) Deo Duce & Luce, veluti *Magus redivivus* ore Pentaglotto h. e. *Hebraico, Arabico, Syriaco, Chaldaico* atque *Latino* non injucundè statuet, **CURIOSA DE MAGORUM PATRIA VITANDA, ET PIA CONTRA STUDIOSE SECTANDA**: posterior autem est **JOHANN. Weidling/Leucopetrâ-Misnic. JUVENIS BONARUM ARTIUM ac PARTIUM MUSICARUM Solertissimus laudatissimusque, Gnatus sui PARENTIS ejusdemque Nominis ceu DUCTORIS hîc roseæ juventæ, unicus, optimus, PASTOREM AGENS BETHLEHEMIT. Palmam**
 MA-

(α) *Urit mature, quod vult urtica manere. Sic Noster Adolescens monitus exemplò quidem inimitabili Jesuli dulcissimi XII. annor. qui magnis Rabbiniis respondens proposuit miranda, rimanda, Luc. 2. Specimen felicitatis, diligentia edens est meritò laudandus. In Insula Corsica fertur Adolescentulus Novennis, cui Nom. Davidis, 6000. nomina propria, quibus semel auditis, κατὰ τὸ ῥητόν, ad unguem recitasse. Plin. Erasmus Chiliadum Scriptor, se puerum adhuc Horatium & Terentium omnem edidicisse ait: prodigium, quod addo: Joseph. Scaligerum unò & viginti diebus totum Homerum memoria mandasse, testatur Drexel. aurisod. c. 9. part. 3. p. 385. Catalogum eor. qui tenacissima fuerunt memoria, vid. in laudat. Drexel. part. 1. c. 2. p. 7. Sic à teneris assvescere multum, ait Maro. Christianus Elect. Saxon. cujus memoria in benedictione, tenera in Juventute interfuisse rebus Judicialibus benè perhibetur, vid. D. Kundman, in Chronic. Elect. XII. Sax. Elect. IX. (β) Quo die np. 25. Januar. M. CCCC. LXXII. Decus illud Adolescentium omnium spectabile Andreas Canterus, puer Decennalis, Gröningensis, ob incomparabilem linguarum & rerum Theologico-Juridicarum scientiam, ab Imperatore Gloriosissimo Friderico III. literis tum honoribus ac muneribus ornatus est magnificentissimè. Vid. prolixè A-cery, Philolog. P. Laurenberg, in præfam.*

MAGIS & nobilioribus ambiguum ob vitium *pruus*, tibi &
suis JESULUM in præsepi faciet, idque *Idiomate Latino*.
Quod cum ad Diem Crastini, HORA IX. PROMERIDI-
ANA L. C. *solenniter & memoriter* sint instituturi utrique, Vos,
ingenuarum Literarum atque Scholarum PATRONI,
MECOENATES ac FAUTORES, in primis quoque Dnn.
STUDIOSI omnis lingvæ ac litteraturæ POLITISSIMI,
Vos, inquam, *submisse ac officiose* compello, ut reverenter at-
que amanter ROGATI hisce duobus, *familiâ* partim præcla-
ris, *memoriâ* percharis speque eximiâ *perraris* MUSARUM
FILIIIS Benivolas & vacivas aurium ædes accommodare
ἐπιεικέως velitis. VOBIS Gloria; illis erit stimulo. Cum
Imperatore illo *Venite*, audite; *videte*; gaudete; vos *vincite*
Vobis illos devincite! GENOITO, GENOITO! P.P. Leucopetr.
in die IX. Calendarum Februar, Anni Messiani
M DC LXXXIV.







Be 130.
g


ULB Halle 3
007 398 166



ni







B.I.G.

Farbkarte #13



Δ Η.
 II.
 FIUNCULA.
 O-HISTORICA.
 E
 ARUM. S.
 T. CULTU.
 A.
 ROS.
 DINUM, AC. DI-
 CTABILES. LITERA-
 FAUTORES. HONORABI-
 DRUM. STUDIORUM. QVOS.
 RA. CULTORES. OMNEIS.
 BILES.
 ILHELM. Süssler.
 ECTOR.
 T.
 DEO, DUCE, AD. HO-
 X, NOSTRO. IN. AUDITO-
 IS. ADHUC. DESTINATO. FA-
 ARERE. SUAQVE. SVAVISSIMA.
 S. AURA.
 TES. COMMENDATIS-
 ARE. ET. EORUM.
 AS. RARIORES.
 LTARE. AURIBUS.
 GNENTUR.
 GITAT. INVITAT.
 ICE. OFFICIOSE.
 TERIS. BRÜHLIANIS.

20.

